

107

fecerunt sine auspiciis extra comitia. De Glabrionibus non igno-  
ro fuisse Consulares; sed si istum lapidem (i. pag. MXXIV.) de  
Consule exponas, Arria fuerit Flaminica Consulis, quod intole-  
randum est; non enim nisi potestatibus majoribus, & consecra-  
tis sacerdotia instituebantur. Pisarensem vero Flaminicam fu-  
isse, insertum cujus, similem Abejena isti de qua 8. p. CCCXXII.  
... patet e studio municipum, a quibus hoc monumento honora-  
ta est: PITINATES PISAVRENSES, ita enim exponenda sunt  
P. P. PVBLICE. Atqui totus hic locus tam gravibus scatet  
erroribus, ut si ullus est, ex quo cognosci possit, quantum  
novitatis amor, & ingenii quidam ætus doctissimum Virum  
abripiebat, hic certe sit. Primum statuit Arriam, Flaminicam  
fuisse Pisauri. Quorsum tandem istud? Romæ etiam Fla-  
minicæ, & quidem plures erant, quam in Coloniais. Tum  
Consulatum Glabrioni abrogat, ne Deus videatur Flaminicis  
instituti, & ut Pisarensem Flaminicam in matrimonio habe-  
re possit, COS immutat in COI, quod acriter reprehendit  
Holtheus in Varior. Corrig. & animad. ad repetit. Gruter.  
Edit., quasi vero absque expressâ conjugii mentione, plana  
non esset Inscriptio. Demum adeo similem Arriam hanc Abe-  
jenæ nostræ putat, ut eam quoque ab iisdem Pitinatibus Pi-  
sarensibus, quos literis singularibus P. P. in scenam producit,  
monumento posito honoratam existimet, quod intolerandum  
videretur, nisi literæ illæ etiam in Gruterianam editionem ir-  
replissent loco D. D. quæ habentur in marmore, & quæ exponi  
debent Decreto Decurionum.

COS. ita in marmore, secus quam Reinesius existimabat.  
Manium autem Acilium Glabrionem Consulem, Arriæ virum  
fuisse vel ex eo intelligitur, quod secundo casu efferatur:  
ita enim veteres, maritos denotasse diximus supra not. VI. &  
fuse ostendit Cl. Fabrettus cap. I. Inscriptio. Dom. Porro  
exemplis ab eo cumulatis aliud addere non erit injucundum,  
ex antiquo marmore petito, quod Eugubii vidi ad Pontem,  
quem vulgo *Sappaceneræ* dicunt

GAVIAE A . F

CN . DEC I SEX . F

CLV . PAETI

O 2

D.D.